

tianis et dira inferebant, et extrema minabantur: et audivit Deus gemitus eorum; brevi enim utrumque exterminavit, et in bello misere peremit. Ita gemebat Fridericus ille canonicus ob sceleratam vitam Udonis episcopi sui: et brevi secutum est Udonis supplicium, ut videre est in historia illa notissima. Ita etiam gemebant, Apoc. VI. subtus altare animæ interfectorum propter verbum Dei clamantes: *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non iudicas, et non vindicās sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Et dictum est illis ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec complerentur conservi eorum, etc.

III. In hæresum oppugnatione. Cum enim intuemur mala, quæ Ecclesiæ inferunt hæretici, cum videmus ab illis lacerari vestem Christi, Ecclesiam, uti vidit S. Petrus episcopus Alexandrinus, cum videmus mulos illos calcitrantes contra altare, ut vidit S. Antonius, cum videmus eorum perfidiam, et odium quo nos prosequuntur, merito ingemiscimus; sed consolatur nos id *modicum*, quo durabunt hæreses. De his dixisse Davidem arbitror, Psal. LVII. *Ad nihilum devenient, sicut aqua decurrens*. In quem locum S. Augustinus ait: « Non vos terreant, fratres, quidem fluvii, qui dicuntur torrentes; hiemantibus aquis implentur, nolite timere: post paululum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepat, mox cessabit, diu stare non possunt: multæ hæreses jam emortuæ sunt. Cucurrerunt in rivis suis quantum potuerunt decurrere, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint: spernentur tamquam aqua decurrens. » Sic ille.

De iisdem etiam apostolus, II. ad Tim. c. III. ait: *Ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (Janis videlicet et Mambris magorum Pharaonis, qui restiterunt Moysi.) Quo loco apostolus loquitur de Simone et Gnosticis, hæreticis sui temporis, ut scribit Primasius. Idem autem evenit aliis hæresibus, Photini, Nestorii, Sabellii, Manetis, Arii, Pelagii, ceterorumque omnium. Ex quibus Manes Manichæorum parens cum filium regis Persarum, a morbo se curaturum promisisset, et contra occidisset, comprehensus et ad regem adductus est. Cui rex exprobravit mendacium et fugam; eumque excoriari jussit, et corpus quidem bestiis dari, cutem vero quæ tantum nebulonem continebat, velut utrem ante portas suspendi, Cyrill. Jerosol. catech. VI. Arius vero cum Alexander episcopus Constant. urgeretur ad recipiendum eum in communionem, precante Alexandro pro Arii exterminio, in fœdis locis viscera effundens extinctus est, Baron. anno 336. Consoletur ergo et nos

hoc *modicum*, quo durabunt hæreses nostri temporis. Videbimus sensim et brevi magis videbimus Lutheranismum et Calvinismum con-senescere et emori apud multos, apud alios in atheismum et politicisum desinere. Verissimum enim est proverbium Hebræorum: *Veritatem stabiles, mendacium debiles habere pedes*. Telæ araneorum sunt hæreses, quibus muscæ, id est, stolidi tantum capiuntur et tenentur, sed vespæ, id est, docti eas perrumpunt, ut scribit Nazianz. in Heronis laudem. Et quemadmodum ejusmodi telæ cito dejiciuntur scopis, ita hæreses.

IV. In tribulationibus. Quales enim cumque illæ sint, *modicum* quoddam sunt, testante Deo per Isaiam, c. LIV. *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te*: et S. Petro, ep. 1. c. 1. *In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus*: et S. Athanasio, qui ab Alexandria præfecto crebris molestiis affectus et insidiis petitus, necessarios suos de ejusmodi procella alloquens: *Recedamus, inquit, ad tempus, nubecula est, quæ cito evanescet*, Socrat. I. III. hist. ecclesiast. c. XII. Multas ipse pertulit ejusmodi procellas, et sæpius in exilium actus, sæpius fugere coactus est: semper tamen cum honore et applausu omnium ad episcopatum suum revocatus et reductus est. Faber ferrarius juxta focum paratum habet scrobem aqua plenum, in quo ferrum ex igne eductum refrigerat: sic agit et nobiscum Deus. Ad punctum nos in modico derelinquit in igne tribulationis, ut sic ad nutum suum efformare quales vult, possit: sed cito inde extrahit, et aqua consolationis refrigerat. Unde Psal. LVI. dicit David in persona justorum: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*. Si quis igitur onerosum habeat dominum, onerosam uxorem, vel maritum, si quis graviter decumbat, cogitet hoc *modicum*. Non semper erit hiems; sed venit etiam æstas, quæ decorem arboribus quem hiems quidem abstulit, restituet cum fœnore.

V. In paupertate et rei domesticæ tenuitate: dicit enim David, Psal. XXXVI. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas*. Ratio est, quia qui modicum habet, plerumque modico etiam contentus est: inde non erit avarus, nec potest esse prodigus: non eget, nec gravatur aere alieno, neque retinet otiosas opes, unde vel in superbiam erigatur, vel ad luxuriam provocetur. Similis est sententia illa Sapientis, Proverb. XVII. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio*. Ubi enim modica est substantia, ibi tranquillitas et quies; jurgia vero, curæ, lites, inimicitia in domibus civitum plerumque hospi-

tantur. Non dissimilis est sententia S. Augustini, I. X. de hordis, c. IX. *Melior est modica amaritudo in faucibus, quam sempiternum tormentum in visceribus*. Exemplo esse potest Lazarus ille mendicus, qui modicam famem pertulit in faucibus; epulæ vero perpetuam sitim ac famem in tormentis. *Gaudet piscis*, inquit idem Aug. in I. de agone christiana, c. VII. *quando hamum non videns escam devorat: sed cum piscator eam adducere cæperit, viscera ejus torquentur*. Idem evenit epuloni illi, contrarium vero Lazaro.

VI. In labore peregrinationis nostræ. Multis enim gravis et molesta fit peregrinatio vitæ hujus, plurimis referta laboribus. Sic enim sanctus ille propheta Elias fugiens gladium Jezabelis, et videns diuturnas persecutiones suas: *Proiecit se subter unam juniperum, et petivit animæ suæ ut moreretur dicens: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei*, III. Reg. XIX. Multi reperiuntur, qui id ipsum petunt cum jam senio se confectos, a mundos despectos, ærumnis circumdatos et laboribus pene confectos vident. Sed consoletur eos *modicum* illud, quod superest vitæ et itineris. Sic enim ait apostolus ad Hebr. X. *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit*. B. Joannes Vischerus episcopus Roffensis, quod Henrico VIII. Anglorum regi primatum ecclesiasticum nollet tribuere, ad mortem condemnatus, cum jam prope ad supplicii locum accessisset, abjecto, cui senex in-nitebatur, baculo: *Eia, inquit, pedes facite officium vestrum, parum jam itineris restat*, Nicol. Sand. de schism. Angl. I. 1. Idipsum sibi quisque dicere potest, cum aliquo laboris vel sanctæ exercitationis tædio afficitur. Jacob certe interrogatus a Pharaone de ætate, respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali*, Gen. XLVII. Parvi seu pauci, si nimirum comparentur cum annis patrum ejus. Quam pauci ergo sunt dies nostri, qui vix dimidium attingunt ætatis Jacobi?

Viderint et mali, quam modica sit eorum peregrinatio, quam præceps eis immineat externum. Babyloni certe dicitur, Jerem. LI. *Venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ, q. d. modica vitæ mensura, pede non longior, tibi constituta est, qua impleta cum te in medio cursu et flore esse existimabis, subito præscindetur tibi velut a texente vita tua*.

VII. In mortis angustia et agone. Sic se animabat S. Hilarion abbas, cum vi morbi extremo pene spiritu conflictaretur: *Egredere quid times? Egredere, animæ mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo et mortem times?* Atque in his verbis spiritum exhalavit. Cum aliquando Sapore Persarum rex centum

episcopos, et presbyteros comprehendi et occidi jussisset, inter illos senex quidam nomine Aninas, cum ad occisionem præpararetur, vehementius tremebat. Id videns Pusices regis ædilis sic eum affatus est: *O senex modicum claude oculos, et expecta gladium animosæ, quia mox videbis magnum Dei lumen*, Niceph. I. VIII. cap. XXXVI. Cogitent hoc et ii, qui bene sibi conscii cum morte conflictantur. *Quanta est dignitas et securitas*, inquit S. Aug. serm. de S. Laurentio, in diversis, *exire hinc lætum, exire inter angustias et pressuras gloriosum, claudere in momento oculos, quibus mundus videtur, aperire eos statim ut Deus videatur, etc.*

CONCIO IV.

QUAM MODICUM SIT GAUDIUM MALORUM IN HOC SÆCULO.

I. Modicum est in seipso spectatum. — II. Comparatione solidorum gaudiorum. — III. Ratione tristitiæ perpetuæ. — IV. Respectu brevis durationis. — V. Ratione tristitiæ secuturæ.

THEMA.

Quid est hoc quod dicit nobis modicum? Joann. XVI.

Scribit Herodotus, Solonem unum ex septem Græcorum sapientibus aliquando habito cum Cræso Lydiæ rege colloquio, eum sedulo admonuisse fugacitatis et inconstantia quæ est in bonis temporalibus, et statu prosperitatis: uti proinde non nimium confideret in opibus ac potentia sua. Hoc tamen documentum cum surda aure bibisset Cræsus, tandem bello victus et captus a Cyro Persarum rege rogo est impositus, igne absumendus. Ibi tum Cræsus, Solonis sui meminisse et exclamare: *O Solon, Solon*. Quam vocem cum audisset Cyrus, causam sciscitatus est. Retulit ergo Cræsus, quæ sibi aliquando documenta dedisset Solon, quæ quidem tunc contempsisset, nunc vero nimium vero et fidelia fuisse agnoscere, de inconstantia videlicet et celeri fuga humanæ prosperitatis, potentia et opum. Quo audito permotus etiam ipse Cyrus, considerans quod et ipsum hic sermo tangeret, Cræsum liberavit. Hoc idem documentum insinuat nobis Christus in hodierno evangelio dum sæpius nobis repetit vocem illam *modicum*. Quid enim hac voce aliud significat, quam omnem mundi pompam, splendorem et prosperitatem esse unum *modicum*? Et tamen quam multi sunt, qui instar Cræsi istud non advertunt? Quod enim discipuli intelligere noluerunt in hodierno evangelio, quod nimirum sit illud *modicum*, hoc etiam intelligere nolunt mundi sectatores. Predicamus enim et ad nauseam usque clamamus *modicum* esse hujus mundi gaudium, *modicam pompam*, mo-

dicam voluptatem, modicam prosperitatem, etc. et tamen inter hæc omnia intelligere nolunt homines quid sit illud modicum, quod ipsi putant magnum. Veniet autem tempus, cum in agone mortis jacebimus, quando hæc verissima fuisse dicemus: O Christe, o Christe! O modicum, modicum! Quod ne sero et incassum nobis contingat, modo et tempestive contemplantur hoc modicum.

Quomocumque et quacumque ex parte inquiratur mundi gaudium, non invenio nisi modicum.

I. Modicum est, in seipso spectatum; siquidem vanum et puerile est ac nugatorium. Sic enim Eccles. c. II. ait: *Risum reputavi errorem, et gaudium dixi: Quare frustra deciperis?* Experimentum dedit Ruperto, ut ipse in eod. c. exponit: *Significavi opera mea, ædificavi mihi domos et plantavi vineas, feci hortos et pomaria, etc. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi et nihil permanere sub sole.* Igitur exempli causa, gula et ebrietas quid quæso habet gaudii? Nonne modicum, dum in ore tantum et gutture cibis et potus sapit moxque trajicitur? Quid choreæ? Nonne viri nobiles rident suos rusticos cum vident eos saltare, ad lyra et lyripipii inconcinnum strepitum exhilarari et in gyrum velut insanos discurrere? Jam vero eodem modo ridentur delicie nobilium ab angelis et viris spiritualibus, qui hæc illorum gaudia inanissima esse perspicunt dicuntque id Amos VI. *Quid lætamini in nihilo?* Divitiæ vero quid? Audi Ecclesiast. c. V. *Quid prodest possessori, inquit, nisi quod cernit divitias oculis suis?* Nos ridemus pueros cum tam contentiose ludunt globulis aut nucibus. Ita S. Paulus risit mundum, *arbitratus divitias ut stercore*, ad Philip. III. *stercore autem delectantur sues et immunda animalia, non homines. Quid vestium ornatus? Nonne idem quod baculus vel manipulus frumenti splendide adornatus bysso, auro, purpura?* Sic olim Xerxes videndo modo platanum velut amasium torquibus armillisque appensis ornasse fertur, teste Eliano, l. II. c. XIV. *Quid enim vestes nisi vel pelles vel pili animalium, vel excrementa bombycum? Quid zibettum nisi stercus casti? Unde Vespasianus imperator adolescentem fragrantem unguento, cum is pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, gravissima voce increpavit: Maluisssem inquit, allium oboluisse, et litteras revocavit, teste Suetonio.*

Quid honor et dignitas? Nonne fumum merum tibi proponit ac vendit? Perinde enim agit mundus te laudans et honorans, ac si fumum

aliquem thuris coram te accenderet, his te illecebris pascens, dum ipse interim manducat et bibit. Hoc pacto Philiscus rex Menecraten medicum arrogantissimum, qui Jovis sibi cognomen usurpabat, ad cœnam vocatum et medio in triclinio, editiore loco posuit, et ante eum, dum cæteris convivis fercula varia apponerentur, thura solum et libamina, qualia in sacris solent, adoleri præcepit. Videns igitur medicus se rideri, dum nihil inferretur, quod esuriam placaret, e convivio cum suis se proripuit indignabundus, Elian. I. XII. c. LI.

II. Comparatione solidorum et verorum gaudiorum. Habent enim servi Dei gaudium internum, quod nascitur ex bona conscientia et expectatione beatitudinis, respectu cujus nihil sunt omnia externa gaudia: cæpe tantum et alia sunt quibus assueti Israelitæ, manna contempserunt, Num. XI. De hoc ait Dominus per os Joannis, Apoc. II. *Vincenti dabo manna absconditum.* Est vero absconditum, quia id nemo scit, nisi qui accipit, uti paucis interjectis subjungit. Existimat quidem mundus nullum esse servis Dei gaudium, sed perpetua eos melancholia, tædio et tristitia laborare: qui tamen, si vel semel experiretur gaudium illorum, sua omnia solatia præ illo facile contempneret. Etenim mundus hac in re similis est pastori, aut rustico alicui solitario, qui tota vita sua nil nisi aquam bibit. Unde fit ut nullum esse potum existimet aqua meliorem. Ducitur ergo ad cauponem, et propinatur illi selectissimum vinum; quo degustato ille mox aquam suam spernit et vinum milles præfert. Simili modo quamdiu mundus non degustat gaudium spirituale, quod habent servi Dei, pro nihilo illud habet, et suis tantum gaudiis afficitur. Sed aliter sentiret, si gaudium illorum sentiret. Est vero multis modis præstantius illud gaudium omnibus mundi gaudiis. Primo, quia gaudium externum quocumque angusto vase capitur, corporis nimirum sensibus, et ex vano tantum bibitur creaturis videlicet. At gaudium internum capacissimo ore bibitur, ista nimirum intelligentia, quæ est tantæ capacitatis ut ipso mundo impleri nequeat, et ex ipso fonte imo oceano gaudiorum omnium, Deo, hauriat. Quid quæso refrigerii sensisset epulo, licet Lazarus extremo digiti sui intincto tetigisset ejus linguam æstuantem? Atqui tali modo potatur hominis animus, infinita siti æstans, cum ei gaudium sensuale propinatur. Et quid hoc.

Secundo, quia gaudium externum facile turbatur interveniente aliqua tristitia aut molestia; sicut qui alienis utitur criminibus, facile comam perdit, si per eam apprehendatur: non ita qui nativam habet. Cum enim infortunium aliquod, velut obitus amici, tonitrua vel grandio vel alius

adversus casus gaudiis mundi intervenit, illico ea disturbat. Convivium Balthazaris perturbavit manus Dei scribens illi iudicium ad parietem. Convivium Herodis, et festum natalitium, perturbavit mors, et caput Joannis, quia: *Contristatus est propter jusjurandum.* Contra vero non contristabit justum, quidquid ei acciderit, ait Sapiens, Prov. XII.

III. Ratione tristitiæ perpetuæ illius comitis, juxta id Proverb. XIV. *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Nullum enim impiorum est gaudium, quod non majorem habeat annexam tristandi causam. Imprimis enim gaudium illud sæpe magni constat, et cum magnis expensis paratur, aut cum magno periculo, si iniquum sit. Sic nobiles plerumque plus consumunt venatione, quam acquirant. Interest quis crebro conviviis alienis? Tunc nisi impudens esse velit, eamdem aleam subire debet, et invitare etiam alios. Magnam alis familiam et ducis pompam? Sed magno cum impendio. Magnam adeptus es dignitatem? Sed et magnas curas. Optatas forte nuptias celebras? Sed statim subit cogitatio quomodo uxorem et liberos sustentare velis, aut alia similis cura. Hinc cum aliquando S. Franciscus gravem pateretur carnis tentationem, in nivem se immersit, et ex illa sibi septem formavit effigies humanas et dicere sibi cœpit: « Ecce hæc major imago uxor tua est, quatuor vero juxta positæ, liberi tui sunt; duæ vero pedissequæ, famulus et ancilla. Nunc quantocius vide ut omnes illas vestias, quia frigore peribunt, nisi mox hoc feceris. Sin autem tibi molesta est hæc pro multis sollicitudo, uni Domino servi. » Hac arte sanctus vir vicit tentationem.

Deinde, gaudium id comitatur certa scientia, quod non diu durabit. Major est autem tristitia amittentis bonum, quam gaudium possidentis, et generatim bona temporalia non habita pariunt desiderium, habita fastidium et curas, amissa dolorem. Denique, perturbata et rodens conscientia, quæ longe magis torquet animum, quam delectet externum gaudium. Hoc enim extra tantum illum afficit, illa vero intra. Quare sicut dives aliquis podagra aut alio acuto morbo perpetuo laborans miserior est paupere mechanico sano, ita peccatores inter ipsas voluptates et delicias, miseriores sunt quam justi, qui iis omnibus carent. Identidem enim illos vellicat remorsus conscientiæ.

IV. Ratione brevissimæ durationis. Ait enim Job. c. XX. *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypoeritæ ad instar puncti.* Sed quomodo hoc verum est, inquires? Respondeo tribus rationibus. Primo, gaudium hoc insperato

et in puncto desinit. Hujus rei typus exhibitus est, cum præparavit Deus hederam super caput Jonæ, ut faceret illi umbram sole æstuantem, et protegeret eum æstu laborantem. Quo facto: *Lætatus est Jonas super hederam lætitia magna,* ait Scriptura. Sed quamdiu? *Et paravit Deus vermem,* subdit mox eadem, *ascensu diluculi in crastinum et percussit hederam et esavit.* Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti, et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit: *Melius est mihi mori, quam vivere,* Jon. IV. Hedera ista designat mundi bona, voluptates, opes et honores, quæ ad tempus quidem umbram homini faciunt et gaudium aliquod pariunt. Sed nihil eorum est, quod non habeat suum vermem, qui brevi illud rodat et auferat fruentibus. Hodie viret et cras arescit hedera. Et quam ægre amittitur, quod cum amore et gaudio possidetur. Hugo de S. Victore, similes dixit mundi sectatores navigantibus, qui tranquilla tempestate lætantur et canunt citharis ac lyris, omnique genere melodiæ; repente vero exorta tempestate naufragum faciunt et a fluctibus hauriuntur. Hoc est quod S. Job confirmat, c. XXI. dicens: *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.*

Secundo, quia postquam transiit, putamus non diutius durasse, quam ad punctum temporis. Et quo hilariores sunt isti, eo brevius gaudent, ut patet in iis qui cum suavi colloquio aut comitatu iter faciunt, aut epulantes ac cantantes navigant, mirantur enim quod tam cito ad destinatum locum præter opinionem suam venerint, quod tam repente tempus fugerit.

Tertio, quia de quovis gaudio licet diuturno, non percipimus nisi punctum: præterita enim gaudii pars jam non est amplius, nisi in memoria; futura vero nondum est, nisi in spe. Ea vero qua frueris, non est nisi punctum. Itaque perinde est, ac si quotannis mille ducatos habeas insumendos, sed non nisi obolatim, ita ut quovis momento possis aliquid expendere vel emere, sed non nisi pro obolo semper. Et quales hæc divitiæ, imo quanta paupertas! Modicum illud, fili, quod inter digitos rotat Parca, gaudium est, quod possides. Quod in celo est, nondum possides: quod in fuso, jam possidisti.

V. Ratione tristitiæ secururæ. Et hic est ille æstus, ventus calidus et urens, qui brevissimam hederæ umbram secutus, gravius Jonam afflixit, quam prius recreavit umbra. Incipiet hic ventus et æstus primo in hac vita. Nam imprimis com-

munitur mundi gaudia desinunt in tristitiam, mox aut brevi sequentem. Unde Eccles. cap. VII. ait : *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stultorum.* Ad cujus intellectum facit quod S. Ber. ser. 4. de diversis, in simili re ait : *Sicut flammæ illius novissima, inquit, fumus occupat et caligo; sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur.* Ita videmus symposia desinere in dolores caput, catarrhos, febres et morbos, quandoque in mortem repentinam : libidinem in luem veneream, vomicas, etc. superbiam in odium, invidiam, probra et ignominias. Miro modo exultabat Aman, quod a regina vocatus esset ad convivium ; sed e convivio ductus est ad patibulum, Esth. VII. Jucundus factus est Holofernes inter pocula ad præsentiam Judith ; sed brevi caput ei resectum est. Deinde magis adhuc in mortis articulo, ut patet in Antiocho rege impio, 1. Macch. VI. Cum enim decidisset in lectum dicebat : *In quantum tribulationem deveni et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram et dilectus in potestate mea? Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, etc. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista : et ecce pereō tristitia magna in terra aliena.* Unde Dominus, Luc. VI. ait : *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Delectatur aliquamdiu piscis escæ, sed cum hamus attrahitur, sentit tunc quid devoravit. Aug. 1. de agone christiano ait : « Gaudet piscis quando hamum non videns, escam devorat ; sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant ; hamum enim acceperunt et cum illo sibi vagantur. Veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint. » Sic Augustin. Unde verissime Ecclesiastes, cap. IX. ait : *Sicut pisces capiuntur hamo in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* Qualis erit ille aculeus, cum dicet illis propria conscientia : *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua?* Sed multo maxime incipiet in inferno. Tunc enim venient anni sterilitatis et boves macilentæ quæ devorabunt boves pingues, id est, annos vitæ præteritæ jucundos ; ita ut eorum nulla amplius memoria sit futura, quemadmodum vidit Pharao, Gen. LXI. Utinam sic cum illo prævideremus annos sterilitatis, quos epulo post ingluviem expertus est, et nobis provideremus de annonæ. Qui vero id non faciunt, similes sunt Ægyptiis insipientibus, qui fertilitate et abundantia septem annorum abusi, nihil in futurum reposuerunt, sed omnia dissiparunt : ideoque præ aliis nationibus maxima fame afflicti

sunt, ita ut non pecora tantum, sed et prædia ac seipsos vendere regi in servitutem debuerint. Gen. LXVII. Sic eveniet damnatis, quibus pro septem annis fertilitatis venient infuiti sterilitatis. Et heu quantum sibi irascentur in inferno reprobi, quod pro tam brevi et inani gaudio tam immanes et æternos cruciatus sibi comparaverint ! Cum in Jonatham pater ferret mortis sententiam, ob gustatum parum mellis virgæ summitate, dicebat Jonathas : *Gustans gustavi parum mellis et ecce ego morior,* 1. Reg. XIV. Quid ergo damnati dicent ? Optime ergo monet Tertull. de spect. c. XXVII. *Omnia perinde habe ac si stillicidia mellis delibares cum baculo venenato, nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum.* Sic Tertull.

Ad extremum memoriæ mandandum est quod S. Crysostomus, hom. XXII. ad pop. scribit : « Si quis intra centum annos, ait, una solum nocte suave lætumque somnium vidisset et centenis ob id annis puniretur, an somnium hoc appetendum esset ? Quod autem, inquit, est somnium ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram ; imo multo minus et quod est gutta ad pelagus, hoc anni mille sunt ad futuram æternitatem. Quare utinam cordi nostro inscriberemus vocem illam S. Gregorii : *Momentaneum est quod delectat, æternum vero quod cruciat.* »

Ponderemus bene nunc modicum hoc mundanum, ne aliquando cum Cræso in rogo inextinguibili frustra id recolamus. Concedat nobis Dominus, ut inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.

CONCIO V.

DE MODICO TRIBULATIONIS, SEU MODICUM ESSE
QUOD NUNC PATIMUR.

- I. Si comparetur tribulatio cum peccato, seu malo culpæ. — II. Si conferatur cum demeritis nostris. — III. Si conferatur cum malorum prosperitate. — IV. Si conferatur cum tribulationibus aliorum. — V. Si conferatur cum pœnis damnatorum. — VI. Si conferatur cum æterna gloria.

THEMA.

Modicum et non videbitis me. Joann. XVI.

Gen. XXV. legimus Rebeccam paulo ante puerperium magnis angustiatam fuisse doloribus, eo quod colliderentur in utero ejus parvuli. Quæ cum semper hoc Dominum consulisset, audivit : *Dux gentes sunt in utero tuo et duo populi ex ventre tuo dividentur ; populusque populum superabit, et major serviet minori.* Si præsentem Germaniæ nostræ statum intueamur, auditores, non obscure cernimus, hoc idem nunc evenire

patriæ nostræ, quod olim evenit Rebeccæ. Vidimus enim jam per aliquot annos in ejus utero collidi acerrimis bellis exercitus cum exercitibus, populos cum populis : vidimus bella in Austria, bella in Bohemia, bella in Saxonia, bella in Hassia, bella in Hungaria, bella in Palatinatu, bella ad Rhenum, bella in Alsatia, bella in Rhetio, et nunc aciora timemus. Nec est quod Deum consulamus, quid hoc sibi velit ; scimus enim duas esse gentes in utro Germaniæ, quæ inter se colliduntur, et convenire nunquam possunt, catholicos et hæreticos. Verum inter hos medios patriæ nostræ dolores consolatur nos hodie Christus, cum asserit dolores suorum Christianorum esse dolores parturientis, hoc est, modicum duraturos : *Modicum et videbitis me,* inquit. Et hoc quidem magnum est motivum, cur deici non debeamus, nec murmurare contra Deum. Sed sunt adhuc longe plura quæ idipsum nobis persuadent, ut videbimus.

Si alicujus rei gravitatem indagare volumus, solemus eam ponderare cum aliis ponderibus. Ergo cum aliis magni ponderis rebus conferamus tribulationem nostram.

I. Si ponderemus tribulationem cum culpa seu peccato, modicum quid est, quia malum, pœnæ tantum ; pœna autem respectu culpæ modicum malum est, uti testatur etiam ethnicus ille Tullius, ep. ad Messinium, fam. V. cum ait : *Præter culpam et peccatum homini accidere nihil posse, quod sit terribile aut peritimescendum.* Ratio, quia tribulatio non lædit animam, sed corpus tantum, non aufert Deum, sed res tantum fluxas. Unde qualicumque sit tribulatio, et sicut dicebat S. Ægidius : *Licet lapides et saxa de celo pluerit Dominus, non nocebit nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit,* ut habetur in sent. aureis ejusdem. Hocque nuntiatur justo Isa. III. *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Quidquid enim accidat justo, bene est ; quia ut ait S. Greg. *Cui nulla dominatur iniquitas, ei nulla nocebit adversitas.* Quemadmodum enim naufragus aut viator, qui incidit in latrones, nihili æstimat merces et pecunias quas perdidit, modo vitam servet : ita justus nihil curat, quid hic in mundo perdit, dummodo salva ei sit peccato anima. Illa sola vera et incomparabilis tribulatio est, ubi peccata regnant, qualis maxime fuit paulo ante diluvium et Sodomæ incendium, eritque tempore antichristi. Et de hac subdit mox Isaïas : *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.*

II. Si appendamus cum peccatis et demeritis nostris præsentem tribulationem, reperiemus

modicum quid esse et contrarium ejus quod de se dicebat Job, cap. VI. *Quasi enim arena maris graviora apparent peccata nostra, quam calamitas quam patimur.* Quis enim numerare posset scelera omnium pene statuum eaque notoria, quæ hactenus in Germania nostra vigeant ? Cum his si appendamus præsentem calamitatem, modica hæc et levis, imo nulla apparebit et velut pulvis aeris respectu arenæ maris. Non est igitur quod queramur, sed quod gratias agamus, qui citra condignum affligimur, et Dei misericordiam prædicemus. Quando David Sauli, ad necem se quærenti et in tentorio suo dormienti abstulit lanceam et scyphum, cum occidere eum potuisset, easque manubias Sauli postea de procul ostendisset, Saul non furtum ejus accusabat, sed misericordiam prædicabat, et bonitatem, dicens : *Benedictus tu, fili mi, David,* 1. Reg. XXVI. Similiter 1. Reg. XXIV. quando David in spelunca abscedit ei chlamydis oram et de procul monstravit : *Justior tu es, quam ego,* ait Saul. Quia videlicet David, cum vitam illi eripere potuisset, nil præterquam lanceam, scyphum et oram chlamydis abstulit. Pari modo si consideremus scelera nostra quibus hactenus Deum nostrum tam multipliciter (uti Saul Davidem lancea sua) impetivimus et offendimus, et altera ex parte præsentem calamitatem, qua Deus, qui vitam nobis adimere, et inferni pœnas irrogare potuisset, nil aliud aufert, præterquam lanceam, hoc est, facultatem rebellandi Deo, robur, et sanitatem scilicet ; scyphum, hoc est, occasionem et facultatem commensationum, luxus, ebrietatum ; oram chlamydis, hoc est, copiam pretiosi, et superflui vestitus ; merito exclamamus : *Benedictus Dominus, qui fecit nobiscum misericordiam :* qui tam mihi flagello punit reos gravissimos. Accedit, quod hoc flagellum non tam Deus, quam ipsi nobis confecisse videmur. Evenit igitur nobis modo, quod mercatoribus illis, Joan. II. *Qui proprio flagello,* ut ait Anacletus papa, ep. II. *percussi et ejecti sunt e templo a Christo ;* fecerat enim Christus id flagellum de funiculis qui haud dubie ab ipsismet mercatoribus, ut solet, allati fuerant ad merces colligandas. Eodem modo nostra peccata cum non minima causa sint præsentis calamitatis, merito nobis imputemus, si per eam nunc castigemur, dicamusque cum fratribus Josephi : *Merito hæc patimur quia peccavimus ;* cum latrone crucifixo, *Nos quidem digna factis recipimus.*

III. Si comparemus eam cum malorum prosperitate, modicam esse dicemus. Malorum siquidem prosperitas gravissima omnium pœnarum est, quæ in hac vita contingere homini possunt, respectu cujus tribulatio modicum